

fractione unius oscillationis in numero oscillationum semper fere ambigetur. Confitendum quidem, etiam in altera methodo fractionem intervalli temporis, quo numerus oscillationum ad finem perducitur, non accuratissime definiri posse, nisi per horologium ut supra instructum mensura fiat; sed quod his intervallis minutissimis uti licet, error inde vix sensibilis timendus, praesertim si numerus oscillationum paullo major ad mensuram adhibeatur.

Haec summa est methodi oscillationum, sed plura adhuc adji-  
cienda, quae ad eam vel accuratius vel commodius transigendam fa-  
cere possint.

Numerorum  $N$  et  $M$  quadrata exacte inversam proportionem ad vires, quarum mensurae inserviunt, tum solummodo haberent, si oscillationum acus amplitudo non esset sensibilis, quo major autem amplitudo, eo minus correctioni illi supersedere licebit, qua oscillationes ad infinite parvas reducuntur. Hinc patet, ut correctio haec negligi possit, intra exiguam amplitudinem oscillationum consistendum esse. Quod ut fieri possit, paullo longiore acu utendum et circulus metallicus, qui ad divisiones recipiendas infra acum poni solet, removendus, ne per notam actionem magneto-electricam laminae metallicaе oscillationum amplitudo nimis cito minuatur. Forsan quidem aliquis contenderet, nunquam istam correctionem physico severo negligendam esse, quod et mihi ita videretur, si semper tam exacte constantem statum circuitus galvanici mensurae adhibere liceret, ut error, ab oscillationum amplitudine parva neglecta timendus prae multo majori irregularitate, ex statu variabili intensitatis galvanicae oriunda, sentiri possit.

Videtur quidem ille error plane removeri posse, nulla correctionis incommoditate adjuncta, eo, ut semper ad mensuram eundem numerum intra eosdem fines amplitudinis adhibeamus, quo efficietur, ut factor, correctionem continens, communis sit omnibus observationibus, itaque in comparatione earum excidat. Hanc methodum HANSTEENIUS laudat (Pogg. Ann. III. 260). Sed facile reperies, oscillationes, sub diversarum virium influxu ab eadem semper oscillatione inceptas, non